

16  
1791  
76

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
PHTHISI PULMONVM  
VLCEROSA.


---

QVAM  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA FRIEDERICIANA  
CONSENSV,  
PRAESIDE  
D. PHILIPP. FRIDER. MECKEL,  
PROF. MED. PVBL. ORD.,  
DIRECTORE INSTITVTI CLINICI CHIRVRGICI,  
CIRC. SALIC. ET COMIT. MANSFELD, PHYS.,  
PVBLICE DEFENDET,  
D. XVII. IAN. MDCCXCI.  
AVCTOR  
HENR. THEOPHIL. ERNEST. KOBLIGK,  
ELBINGA BORVSSVS.

---

HALAE,  
TYPIS HENDELIANIS.

112



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
 LIBRARY  
 540 EAST 57TH STREET  
 CHICAGO, ILL. 60637  
 U.S.A.  
 1978



V I R O  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
IO. THEOPHILO KOBLIGK

MEDICINAE DOCTORI  
ET  
PHYSICO CIRCVLI ELBINGENSIS.


PATRI OPTIMO

HASCE ACADEMICI STVDII PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

A V C T O R.



§. I.

Quantquam pulmones variis grauioribus morbis sunt obnoxii, inter pessima tamen mala haecce est referenda adfectio quae Phthisis dicitur pulmonalis.

Deriuatur nomen a verbo *φθίω*, corrumpere, consumere, labefactare. Cum vero pulmonum substantia, totumque corpus in hoc morbo corrumpatur, vires labefactentur, voculam adfectum designare aptam esse patet.

§. II.

Sensu latiori Phthisis corporis partium consumptionem denotat, strictiori vero sensu eam, quae ex pulmonum vlcere originem ducit. Ideoque est corporis extenuatio lenta, vniuersalis ex pulmonum vicio, cum febre assidua, maximeque puris expectoratione. Hac differentia specifica ab aliis morbis distinguenda e. gr. Atrophia infantili. Marasmo senili, variisque tandem Phthiseos speciebus e. c.

hepatica, renali aliis affectionibus quas partium consumptio insequitur, ob deficientem pulmonis exulcerationem. Variæ dantur tabis species cum febre, tussi molesta, siue aliae ex flacciditate, atonia, quæ vero non ad veram, sed quodammodo ad notham sunt referendæ.

§. III.

Distinguitur Phthisis ab auctoribus vario modo respectu sedis, decursus, diuturnitatis et s. p.

HIPPOCRATES <sup>a)</sup> tres Phthiseos species recensens a pituita prima, quæ pulmones sucepit, a labore altera, tertiaque e medulla spinali. GALENVS <sup>b)</sup> e capitis defluxione alteram, e certa causa infestante pulmones statuit. CELSVS <sup>c)</sup> in atrophiam, cachexiam, et in phthisin a destillatione e capite. Variæ adhuc sunt diuisiones auctorum quæ collegit FARR. <sup>d)</sup>

Aliae

a) De intern. affectionib. Sect. V. p. 97.

b) Comment. in lib. I. Epidem. T. IX. p. 23. ed. Chart.

c) De Medicina lib. VIII. cap. XXII. p. 130.

d) Aphorismi de Marasmo. Altenburg 1774. p. 13.



Aliae differentiae sunt in *veram*, exquisitam ab ulcere pulmonum, in *notam* atque imperfectam ex alia pulmonum affectione, atonia, marcere, calculis dependens. *Primaria* ab nullo alio morbo praegresso, sine *secundaria* alio morbo originem ducente vti scrofulis malo hypochondriaco, scorbuto, lue venerea, arthritide, aliisque, vnde nomen accipit: scrofulosa, hypochondriaca, et sic porro. In *originariam*, vel *symptomaticam* MORTONI<sup>e)</sup> sententia, a mala enim corporis diathesi pulmonumque exulceratione, sive ab effectu morbi alius, quae vero diuisio eam illa in primar. et secundar. conuenire videtur. *Acuta* et *chronica*, longiori breuiorue temporis spatio decursum absoluit. Quo ad stadium, in *incipientem*, *dubiam confirmatam*, *conclamatam*. Porro aliae distinctiones vti aliae passionis in *hereditariam*, *acquistam*, *contagiosam*. In *siccam* et *humidam* ex CVLLENII<sup>f)</sup> sententia, quando pus expectoratur, siue non. Haenius adhuc alias habet, *femoralem*, *cellularem*, *coxariam* aliasque.

A 3

DE-

e) Phthisiologia. Lib. II.

f) Nosol. meth. B I. S. 217. der deutschen Uebersetzung.

## §. IV.

## DECURSUS.

Ad prodromos, variaque symptomata, quae morbum praenunciant, sequentia sunt referenda. Sensibilitas magna ad vicissitudines tempestatum, raudines leuissima ex causa fiunt, catharralibus affectibus facillime laborant, qui quotannis nonnumquam reuertunt, libenter in chronicos degenerant eum dyspnoea, tussi sicca, inferiorum extremitatum lassitudine. Horripilatione, dolore per costas et sternum, capitis, pectoris cum ponderis sensu, fixo vel vago variis corporis locis, spasms, titillationis sensu in aspera arteria vexantur. Appetitus prostrationem saepe saepius sine causa euidente obseruant. Matutinis diei temporibus accedit tussicula, cum phlegmatis serosi excreatione, variae consistentiae ac coloris flauo, viridis. Alii ophtalmia serosa, rheumatismo, haemorrhagis narium laborant saepissime aliisque affectionibus. Proclines sunt ad iram, tristitiam et ad alia animi pathemata.

## §. V.

Diversis ex causis harumque effectis morbus diuersos percurrit ad acmen usque gradus qui ab  
aucto-

auctoribus notabilis discriminis ergo in tres diuidi solent. In primo infarctu laborare incipiunt pulmones siue glandulae lymphaticae huius visceris, in secundo repletionem tumores renitentes oriuntur, tertium denominant ex inflammatione et exulceratione harum partium, quae vero diuisio minus placuit BVRSERIO DE KANILFELD §) dum non omnis phthisis a tuberculis ortum trahit e. gr. a pleuritide, a sola haemoptysi, rectius in incipientem et confirmatam diuidit. Confirmata vero siue ulcerosa quoque distinguitur in primum gradum quando pulmo incipit exulcerari; in secundo corporis extenuatio manifestius se prodit, in tertio denique liquationis data apparent.

Tussis primi stadii mitis, arida, vehementior noctu cum doloribus capitis pectorisque pungentibus, quibus leuis algor succedit, et calor subsequens vix explorandus est digito. Lassitudo corporis cum agilitate minuta est obseruanda, ab omnibus motibus paululum defatigantibus abhorret aeger. Externa facies eadem albam, tenuem, pallidam ostendit.

A 4

Aut

§) Institut. medicin. pract. Lips. 1789. Vol. IV. P. prior. cap II. p. 51.

Argentur mala. Thoracis dolor lucentior, pulsus exploratur celer, nonnumquam tensus, durus. Tussis vehementior nunc, clangosa, somni impedimentum, post epulas molestior ad vomitum usque protrahitur, quo aeger materiam elicere cogitur pituitosam varii coloris et consistentiae, albi, globosi, mali interdum odoris, saporis dulcis, vel salsi, stercis nonnumquam mixtis sanguineis. Infolitam sentiunt oppressionem, anhelitum, respirationem laboriosam maxime ascensione altitudinum adeoque ad suffocationem.

Febris morbo incremente grauiore habet accessiones cum remissione in primis horis diei quo sudatiunculae superiores corporis partes maximeque thoracem occupant, et remittunt symptomata. Hypochondria elevata, tensa. Calor post pastum nunc rubore circumscripto genarum in manuum volis, pedumque plantis stipatur, sicuti rubescunt oculorum canthi et oris labii. Vrina parcius coloratior redditur.

Duplices nunc lucentiores facit exacerbationes febris, a pastu prima, secunda pomeridianis horis.

Secuta

Sputa nunc verum pus commonstrant. Omnia emaciationis extenuationisque signa primo intuitu eloquent, adeps consumitur, oculi cavantur, variaque maciei signa adfunt. Respiratio brevis, saepissime odoris mali, Catameniorum excretio cessat.

Morbo iam ad fastigium tendente omnia ad summum augmentur. alvus antea obstructa, nunc crebra secessione soluitur siue lientia oboritur. Erumpunt aphthae totumque cavum oris occupant. Lingua pura, rubra, vox rauca; foetor ex ore totaque ex corporis superficie exhalatur. Alia extremi exitii phaenomena sunt, ex hac enim summa prostratione virium ex colliquatione generali repetenda: capillorum defluuium, dysenteria vel diabetes, dolor gutturis peculiaris, pruritus totius corporis, pustulae rubrae, extremitatum inferiorum tumores nullo elasticitatis cum signo, deliria interdum, vngues incurvanti, tempora collapsa, nasus acuminati, gracilescens, figura corporis sceleron nobis repraesentat cum facie summe hippocratica. Difficillime respirant et anxie, Pulsus languent, vacillant, deficiunt. Sicque aegri nunquam non in summa tranquillitate animi vitam claudunt.

## §. VI.

## DE CAUSSIS.

Causa quae sit proxima variae sunt sententiae scriptorum. Materiam inflammatoriam, irresolubilem esse pulmones infarcientem credit *BATTIE*. *Cacochymiam* purulentam in humoribus cum pulmone affecto, verba sunt *SWIETENII*. Humorem esse acrem seu biliosum et serosum, seu putrescentem ait *SENNERTVS*. Sanguinis stases et humorum in vasis putat *HOFFMANN*. *BOERHAVIUS* originem deducit ab omni causa, quae valet sanguinem in pulmonibus sistere ut in materiam purulentam abire cogatur. *MORTONIO* est prava dispositio massae sanguinis et spiritus nervosi. Exulcerationem pulmonum proximam esse causam ajunt *DOLAEVS* et *ROME*.

Omnes vero causae, quae vario modo irritando, vel obstruendo, relaxando, inflammationes, obstructions, tandemque exulcerationem proferre possint; huc referendae nobis videntur. Consentientem video *FRVRSERIYM*, h)

## §. VII.

h) l. c. p. 57.

## §. VII.

Ad causas progredior remotas. et primo quidem ad praedisponentes.

- a) Ex observationibus veterum recentiorumque scriptorum constat, quosdam homines ad certos morbos *hereditariam* habere dispositionem, qua praesente morbus quidem non fit inevitabilis, data vero occasione facillime incurrant adfectionem. Maxime vero phthisin huc esse referendam scripta testantur autorum v. gr. Fr. HOFMANN, i) VOGEL, k) MORTON. l) Innumera collegit exempla HALLERVS m) de morbis hereditariis Tota interdum familia correpta fuit ab hoc malo, vide FERNEL. n) Ex constitutione debili et laxa prolis debilitas exoriri potest.
- b) Diversam corporis qualitatem, diversos proferre posse morbos experientia dedit. Huc pertinent peculiaris

i) Medicin. rational. systemat. T. IV. P. I. sect. II. cap. XIII. p. 582.

k) Praelect. de cognosc. et cur. morb. S. 643. p. 542.

l) Op. med. p. 28.

m) Elem. physiol. T. VIII. p. 26.

n) Pathol. lib. V. cap. X.

liaris corporis conformatio respectu staturae, partium proportionis, obesitatis, maciei etc. omniaque quae sub *habitu* comprehenduntur.

Phthisicum vero habitum *congenitum* designant secundum autores sequentia: collum oblongum, gracile, scapularum instar alarum prominentia, thorax angustus, depressus, praecordia quasi contracta, musculorum habitus mollis, flaccidus, apophyses ossis sacri prominentes, cutis alba, tempora concaua, statura procera, vox tennis, clangosa, dentes colore lacteo pellucidique <sup>o)</sup>, systema neruofum irritabile, lingua acuta, macies extremitatum superiorum, color faciei roseus circumscriptus; conformationi gibbosi nonnumquam familiaris phthisis.

*Adscititius*, qui ex primis infantiae annis siue ex prouectiori aetate mala educatione, vitii diaeteticis fuit ortus. Qui saepe saepius ex abusu fasciarum et thoracum maxime sexus sequioris ortum trahit. <sup>p)</sup>

<sup>o)</sup> Sammlung auserlesn. Abhandl. zum Gebv. pr. Arztes. T. VI. St. 2.

<sup>p)</sup> KOSIŹSKI diff. sistens noxas fasciarum, gestationis et thoracum, Götting. 1781. 8.



e) *Aetas* omnis quidem *aetas* huic morbo obnoxia, atramen inuenilis ac virilis generi magis fauet, quae vero procliuitas maiori teneritudini gracili-que partium habitu adscribenda est, in prouectiori vero aetate partes iam maiori robore sunt praeditae. Determinantur limites aetatis varii: Plures periodum assument a decimo octauo ad trigessimum quintum. HIPPOCRATES q) CELSVS r) SENNERT s) alii. BOERHAVIVS t) post annum decimum sextum ad trigessimum sextum, MACBRIDE u) intra decimum sextum et trigessimum determinat.

d) *Sexum* sequiorem magis fauere phthisi, explanare possunt habitus laxior, subtiliorque omnium partium structura, neruci systematis sensibilitas maior, cui accedit vita sedentaria, habitus non nunquam adscititius malus.

e)

q) Aphor. V. 9.

r) De medic. lib. II. cap. I. p. 87.

s) Pract. med. lib. II. P. II. cap. XII. p. 203.

t) Aphor. de curandi. §. 1198. V.

u) *Systemat. Einleit. in die theoret. und pr. Arzneykunst.*  
Th. II. p. 629.

- e) *Temperies sanguinea, cholericæ prædispositionem continet. Maior inest iis irritabilitatis gradus, ad hæmoptiyn procliuiores sunt.*

§. VIII.

CAUSSÆ OCCASIONALES.

- a) *Contagium.* Dissentiunt auctores de contagio Phthysicos. Negant alii, dum alii nimiam illi vim tribuunt. Præstantissimorum virorum observata vero docuerunt contagiosam fuisse. GALENVS x), ARISTOTELES alii, noxas miasmatis metuebant. MORGAGNI y) hæc ex causa se cadauera affirmat vix vnquam disseccuissē. Eandem sententiam SWIETEN, MORTON, RIVIER, HOFFMANN. Ad eos qui insufficientiam vel contrarium demonstrare conati sunt, Itali Cel. CASTELLEANI et COCHIVS pertinent. Exhalationes in stadio conclamato, putridæ indolis propagatione, noxas proferunt. Varia vero via miasma corpori communicari potest: vestimentis, decubitu, lactatione, familiari conuersatione, cum omnibus quæ e corpore fluunt, spūto ergo, sū-

x) Differ. febr. L. I. c. 2.

y) Ep. anat. med. XXII. 3.

dore, diarrhoea al. Fusius de hac materia legendus est EVERSI<sup>2)</sup>.

b) *Metastasis*. Materia quaedam morbifica natura conante criticis siue habitualibus evacuationibus ad apta hac ratione loca directa, suppressa siue retropulsa, facillime alias afficit partes, ibique varia excitat phaenomena. Ad encephalum e. gr. apoplexiam, syncopen, deliria; ad ventriculum, spasmodum, cardialgiam; ad pulmones tussim siccam, inflammationem, tubercula, tandemque exulcerationem. Maxime sunt effectus morborum e genere exanthematicorum: variolarum, morbillorum, scabiei, herpetis, crustae lacteae, etc. suppressio solitarum evacuationum saepius eo modo phthisin procreavit; haemorrhoidum catameniorum, a) lochiorum, leucorrhoeae virilis et femineae, haemorrhagiae nasium, sudoris pedum b), sic etiam inneratarum fistularum, foniculorum. Respiratio

z) Diss. in contagium phthisicam inquirens. Götting. 1782.

a) LOTICHIUS obs. med. L. I. c. 2. obs. 2.

b) TRILLERVS diss. nullam medicin. interdum esse optimam §. 17. (HALLER. disp. No. 229. p. 32.)

tio suppressa. Ex rheumatica, arthritica materia, a lue venerea, al: de quibus auctores innumera proferunt exempla, MORTONIUS e) vero plures habet species.

e) *Aëris* constitutio summus habere influxus ad corpus humanum extra omne dubium quorum maximos experiuntur pulmones.

Aër humidus, densus, paluster, frigidus simul humidus, nebulosus et frigidus, subito vices subiens, pulmonibus maiori minorive gradu noxius. Vnde varia tempestas praecipue tempore aequinoctiorum pulmonum affectus profert, de quibus HIPPOCRATES d) et CELSVS e) exitum pronunciat. Ex vera nunc aëris constitutione vel subita alienatione, ac accumulatione alienis cum particulis, facile affectus catarrhales oboriuntur, nonnunquam diuturnitate, vehementia symptomatum, continua pulmonum concussione debilitatur viscus, et obstructioni stagnationique ansa datur vnde primo aliquando pituitosa phthisis deinde vero vicerosa proferri

po-

c) l. c. Lib. III.

d) Aphor. III. 10. 13. 22.

e) De Medic. lib. II. cap. I. p. 47.

potest. Referenda huc sunt noxiae ex carbonum <sup>f)</sup> fumo imprimis lithanthracum halitu, quae causa fortasse phthiseos pituitosae Londinensium. g) Inhalatio aeris particulis rodentibus, acribus ingranati, hominibus metallurgicis laboribus occupatis communis, ut et omnibus qui vitae generis causa halitui aeris huius qualitatis sunt expositi teste experientia MORGAGNI et RAMAZZINI, nonnunquam Phthisin causavit.

d) *Ingesta* nimia copia, siue intempestive ingurgitata, si quantitate vel indole peccant, viis digerentibus molesta et bonae praeparationi chyli sunt impedimento. Praematura excretionem, siue particularum acrimonia noxas massae sanguineae proferre debent siue diluendo siue inspissando. Hoc loco pertinent abusus spirituosorum, spiritus ardentis, vini austeri, aromata fortiora, medicamenta acrida, aliaque dyspeptica, varia alimenta glutinosa principio praedita, quae tenacitatem

f) ROZIER de la chasagne manuel des pulmoniques p. 281.

g) Acta medicor. berlinens. Decad. II. Vol. II. p. 57.

orem reddere possunt chylum et vario modo  
statibus fauent.

- e) *Pathematum* animi quanquam vix semper accu-  
rate euoluendus influxus, tamca experientia de  
bono vel malo effectu horum quotidie testatur,  
obseruamus humores retardatos vel retro pullos  
vel promotos ope efficaciae pathematum animi.  
Vulgatissimum est illud phaenomenon irae effec-  
tus ad systema biliferum. Phthisi vero mala  
grauiora fauent: Metus, tristitia, iracundia,  
contractione spasmodica, incutiendo molli pul-  
monum parenchymati noxia vide MORTON. h)
- f) *Vigiliae et somnus*. Lueubrationes incommoda  
proferre debent, dum neruea vis continua ad-  
strictione debilitatur, functiones omnes totius  
machinae confunduntur. E contra somnus nimis  
protractus tonum debilitat solidorum, torosi-  
tatem minuit qua ex causa multa variaque  
vitia oriri debent.
- g) *Motus necessitas* respectu promotionis functio-  
num corporis animalis ex physiologicis constat.  
Praeternaturalis vero circulationem sanguinis auco-  
tam promouet, vnde maiori sanguinis impetu ad  
tenel.

h) l. c.

tenellam viscus nonnunquam rupturae vasorum, extravasationes oriuntur. Spectat huc motus violentus cursu veloci, motu in equo, sub vento impetuoso, ore aperto, salivatione. Motu vero prohibito, et sub vita sedentaria sine dubio obstructions, infarctus, ac humorum stagnationes oriuntur.

h) *Haemoptysis* sine sanguinis ex pulmone mediante tussi reiectio. Triplicem medici considerant fontem; ruptura (*ρηξις*), erosione (*διαβρωσις*) siue dilatazione vasorum (*ανωστομωσις*) sanguis effluit. Multi auctorum phthisin inevitabilem esse sequelam credebant praecedente haemoptysi. Experientia vero edocuit multos dari homines qui permultos laborant annos haemoptysi, nunquam vero phthisica manifestarunt symptomata. Si vero sanguis vel a causa interna siue externa, extravasatus, nec tussi reiecitur, nec per vasa referentia massae humorum admisci potest, ibi mora ac stagnatione degenerat et in puris naturam mutari potest.

D I A G N O S I S.

§. IX.

Imminentem, incipientem difficilem esse cognitu nemo negabit, dum in omnia, saltem plurima

phenomena mitiora vix sunt perceptibilia. Futurae sequentia sunt adnumeranda: Ortus a parentibus hac labe defunctis, angustior depressiorque thoracis structura, statura procera, color faciei candidans, pellucens, genis amoene roseis, ingenium praecox, pulsus celer, conformatio corporis pectorisque mala, tussis matutina cum phlegmatis excretionis copiosa; palpitationes cordis crebrae.

Tussis discrimen a catarrhali desumi potest ex decursu respectu temporis, e causa, tandemque symptomatibus concomitantibus. Catarrhalis quando naturam consequitur, comitatur variis affectibus: coryza, effluxu limpidae materiae, oculorum rubore, angina, pectoris oppressione, prostrato appetitu, dolore extremitatum, languore, capitis grauedine; breui admodum temporis spatio terminatur. Phthysica vero tussis initio mitis, arida, molesta, post epulas in primis, cum dispositione vomendi iuncta, quod symptoma signum pathognomicum est MORTONIO <sup>i)</sup> maiori vero iure alia adhuc refert signa BURSERIUS: <sup>k)</sup> cibi fastidium, sitis, sputum viscidum, crassum varii coloris sanguine

i) l. e.

k) l. c. p. 55.



interdum conspersum, sapore falso aut dulci aut amaro, aliaque.

Tubercula in pulmonum substantia orta per longa interdum intervalla pulmonibus inhaerent, nullo cum dolore ac incommodo, adeo in exulcerationem transeunt, vel usque ad vitae finem nullo signo notabili dignosci potuerunt. Raro vero videbant auctores phthisici pulmones in quibus nullum aderat tuberculum.

§. X.

Tubercula difficile sunt cognoscenda. Denotant sequentia praesentiam: respiratio celerior naturali, crebrior, difficilior; tussi miti laborant nec becchicis nec oleosis subleuanda, dolores leues pectoris in fortiori corporis motu, in regione scapularum, decumbere nequeunt in locum dolentem, glandulae conglobatae multis locis tument, ut colli, axillarum, inguinum, mesenterii; labia oris intensa, facies pallida, gingivae deficientes vnde dentes videntur elongati. Febriculae, cum genarum rubore, syncopes, aliaque lentae febris signa. „Duo tamen inquit EAGLIVVS 1) signa pathognostica, mi-

B 3

1) Prax. med. lib. I. de morbis, textu 63.

„nica crudi, et adhuc incipientis tuberculi sunt  
 „tussis sicca, et dolor lenis in alterutro pectoris  
 „loco.“

Sedem tuberculorum plures auctores partibus glandulosis imponunt MORTONVS <sup>m)</sup> e. gr. HOME <sup>n)</sup>, RAVLIN <sup>o)</sup>, alii contendunt glandulas bronchiales obstructas esse; nostris temporibus vir egregius REID <sup>p)</sup> hanc refutat hypothesi, nullas dari lymphaticas glandulas in pulmonum substantia. Recentiora vero experimenta contradicunt vti elucet ex *Portali* <sup>q)</sup> disquisitione, MASCAGNI.

§. XI.

Signa ex quibus haemoptysi praegressa exulceratio fit metuenda, sunt: dolores pectoris pungentes, frigus magnum, horror cui calor maiori vel minori succedit gradu, pulsus durus, siccitas oris  
 et

m) l. c.

n) Princ. med. p. 134.

o) *Abhandlung v. d. Lungenfucht nebst ihren Verwaltungs- und Heilmethode*, a. d. ff. Iena 1788. p. 18.

p) *Ueber die Natur und Heilung der Lungenfucht etc.* a. d. engl. 1787. 2te Ausg. p. 36.

q) *Samml. auserl. Abhandl. zum Gebr. prakt. Aerzte*. B. X. 2tes St. p. 404.

et faucium, sitis permagna, dyspnoea, tussis sicca, corporis debilitas, respiratio impedita, aliaque inflammationis signa.

§. XII.

Febris sub habitu ingruit continentis, remittentis vel intermittentis, de quibus varia collegit exempla *T. R. DE KRZOWICZ.* <sup>1)</sup> Calor hecticus pathognomicum est febris signum. Ab antiquissimis temporibus auctores puris resorptioni febris hecticæ existentiam adscribserunt, aliam vero sequitur viam *REID,* <sup>2)</sup> exhalationem retentam pulmonum tuberculis cum phlogisto, causam esse febris lentæ censet, refutat febrem effectum resorptionis esse, anne vero metastases, criticae evacuationes resorptioni respondent, an argumenta viri celeberrimi observationibus multorum annorum contradicunt, nostrum non est diiudicare; euoluat *L. B.* libellulum de noua hac theoria. <sup>1)</sup>

B 4

§. XIII.

<sup>1)</sup> *Histor. febr. hec.* p. 9. 10. §. 5.

<sup>2)</sup> *l. c.* p. 102. et sqq.

<sup>1)</sup> *RYAN Untersuchung der Nat. und Kur der Lungen-schweinfuchr.* Leipz. 1790. Anhang p. 131.

## §. XIII.

Puris diagnofin veram dare, multi fcripto-  
rum annis fuit. Defumunt figna ex odore  
colore, grauitate, confidentia, fapore, folutione  
cum aqua via chemica et fic, p. quam difquifitio-  
nem protulerunt HIPPOCRATES, <sup>u)</sup> AR-  
TAEVS <sup>x)</sup>, ALEX. TRALLIANVS <sup>y)</sup>, alii recentio-  
rum, DARVIN <sup>z)</sup>, SALMVTH <sup>a)</sup>; CVLLEN <sup>b)</sup>  
FRVGMAN <sup>c)</sup>. Noftis diebus nuperrime expe-  
rimenta docuerunt difcerdi poffe puris praefentiam  
ex omni corporis parte producti vt etiam ex pul-  
monum ulcere; oleo tartari per deliquim e. g. de-

tegi

u) Praen. feft. II. p. 176.

x) De fign. et caul. morbor. datu. Lib. I. c. VIII.  
p. 36.y) De fingulor. corp. part. ab hom. coron. ad im-  
calc. etc. Bafil. 1533. p. 115.z) Experimentes establishing a criterion between  
mucaginous and purulent matter and an Account  
of the retrograde motions of the abforbent veffels  
of animal bodies in fome difeafes. Liebf.  
1780. 8. f. Samml. auserl. Abh. z. pr. A. T. VI.  
St. 2.

a) De diagnofi puris. Gött. 1783. 4.

b) Anfangsgründe der prakt. Aertzn. II T. p. 184.

c) De puogenis etc. Gött. 1783. 8.

tegi potest, pus in sputis; quod testantur experimen-  
ta GRASMEYER d).

§. XIV.

PROGNOSIS.

In genere dubia, acquinoca diuersis ex cau-  
sis; ex perpetua concussione partis laesae tussi; ne-  
glecta aegri cura quo morbus accedente Medico  
saepe saepius confirmati gradum accepit; remoto  
viteris situ a primis sic dictis viis, vnde pars im-  
mediate curari nequit; corpore summe debilitato,  
vt aliis innumeris causis; maiore vero iure insuffici-  
entia artis, quam morbi incurabilitas accusanda  
esse videtur.

Varia dant auctores prognostica ac signa boni  
malique exitus, quae desumunt ex sputorum natura,  
excretionum gradu tolerabili, statu functionum,  
morbi causis, habitu corporis, aliisque symptoma-  
tibus, quae optime studioseque collegit FARR e),  
et CVRTIVS f). Omnia fortasse, saltem maxi-  
B 5 ma

d) *Abhandl. von Eiser.* Gött, 1790. p. 110.

e) l. c. p. 61.

f) *Samm. auserl. Abhandl. zum Gebrauch prakt. Aerzte.*  
B. IX. St. 1.

ma ex parte, ex his sunt intelligenda, bonaque ac fausta sunt expectanda: morbo non ab habitu pendente; si morbus recens fuerit; siue primum percurrit stadium; pus laudabile sufficiente copia expectoratur; aetas tenella, iuuenilis; febris gradus mitis, primae viae nisi illacuae tamen non in summo debilitatis statu; somnus vires refocillans; respiratio libera, facilis, tussis mitis, non turbans; sputa leuantia, facilis eorum reiectio; aluus satis laxa; absentia symptomatum colliquationis, status morbi initio, gradus incipiens, non confirmatus, omniaque caetera lenissima. E contrario vero minus faustum sperandum est augurium, vix unquam, tamen rarissime bonum admittit exitum. Tussis e. c. ferina, calor h. d. icus matutino tempore, mordax, labes haereditaria, habitus congenitus, tabescentia magna, symptomata colliquationis, meteorismus, extremitatum tumores vt et totius corporis, anxietates inexplebiles, pustulae rubrae, pruritus toto corpore, diarrhoea foetida, purulenta, cadauerosa, capillorum deslunium, oculi pellucidiores, vngues curuati, pinnae narium contractio, auide cibum si appetant indeque neuiquam vires acquirant,

rant, hæsticæ febris paroxyfmi regulares, suffocatio, tempus anni, multaque omina, de quibus fufius tractarunt FARR <sup>g</sup>) et CVRTIVS <sup>h</sup>).

§. XV.

Tubercula triplici modo terminantur resolutione, exulceratione, siue induratione <sup>i</sup>). Vomica indicatur interdum critico tumore <sup>k</sup>).

Sputa purulenta non omni tempore exulcerationem pulmonum designant, adfunt enim exempla in integro pulmonum statu, tamen puri fuisse evacuatum, quod testantur MORGAGNI <sup>l</sup>), LIEV-TAVD <sup>m</sup>), HAEN <sup>n</sup>), BENNET <sup>o</sup>), alii.

Ex hæmoptysi non inevitabilis Phthisis, quamquam sæpissime eius sit sequela.

He.

g) h) loc. citat.

i) HIPPOCRATES, GALENVS, FERNEL, SWIETEN, al. concretiones variae consistentiæ in sputis obseruarunt.

k) VATER diss. de curation. per expectat. (in Halleri disp. T. VII. P. I. No. 228. p. 4) SELLE *Beyrag zur Natur- und Arzneywissenf.* GESNER *Samml. von Beobachtung.*

l) De sed. et caus. morb. Ep. 22. N. 28.

m) Hist. anat. med. L. II. obs. 404.

n) Rat. medend. P. XII. c. 6. p. 250.

o) Theatr. tabidor. p. 96.

Haereditaria phtthis omnium pessima, ab haemoptysi sine interno vitio lenissima, ab empyemate insanabilis. BOERHAVE.

Quibuscumque tabidis e capite vna capilli defluunt, si diarrhoea superueniente, moriuntur. Tabae detenta profusum alui superueniens, letale. HIPPOCRATES.

Acuta periculosior chronica; originaria, symptomatica. HOME.

Phtthisici quibus pulmones ob lapidum et osium inaequalium praesentiam lacerati fuere, deploratissimi. BENNET.

§. XVI.

Multa nobis proferunt auctores de felici therapeuti ex omni stadio exempla. Quorum e numero praestantissimorum virorum aliquos sufficiat nominare, GALENUM, FORESTVM, SENNETVM, BOERHAVIVM, MORTONIVM, HOFFMANNVM, SWIETENIVM, PAVLINVM, VOGELIVM aliosque, ex quibus omnibus lucet, lenter constat, phtthisin pulmonalem in omni periodo haud insanabilem esse.

THESES.



V  
THESES.

I.

Calor animalis non vnice separationi ac feces-  
sioni caloris aëris specifici, diuerso etiam irritabili-  
tatis et nerueae vis gradui adscribendus.

II.

Nutritio foetus solummodo funicali vmbili-  
calis ope fieri potest, nullo modo ore.

III.

Phthisis pulmonalis vlcerosa ad contagiosos  
morbos referenda.

IV.

Diaeta animalis non in omni periodo pulmo-  
nalis phthiseos contraindicata.

V.

## V.

Situs naturalis foetus omni tempore grauidi-  
tatis idem, caput enim vteri collum respicit.

## VI.

Sputa phthisi pituioſa laborantium naturam  
non habent veri chyli.

Halle, Diss., 1788-91

ULB Halle

3

001 967 045



Sb.

v. 178







16  
1791  
76

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
PHTHISI PULMONVM  
VL CEROSA.

QVAM  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA FRIEDERICIANA  
CONSENSV,  
PRAESIDE  
D. PHILIPP. FRIDER. MECKEL,  
PROF. MED. PVBL. ORD.,  
DIRECTORE INSTITVTI CLINICI CHIRVRGICI,  
CIRC. SALIC. ET COMIT. MANSFELD. PHYS.,  
PVBLICE DEFENDET,  
D. XVII. IAN. MDCCXCI.  
AVCTOR  
HENR. THEOPHIL. ERNEST. KOBLIGK,  
ELBINGA BORVSSVS.

HALAE,  
TYPIS HENDELIANIS.